

# SCRIPTA

**Numéro Scripta :** 5559

**Auteur(s) :** Raoul de Montgommery [particulier]

**Bénéficiaire(s) :** Bernay, Notre-Dame (abbaye)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** ...1210...

**Lieu d'émission :** Bernay

**Action juridique :** donation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Donation par Raoul de Montgommery à l'abbaye de Bernay, vers 1210, du moulin de Rokemont.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

- a. Delisle Léopold, Passy Louis, *Mémoires et notes de M. Auguste Le Prévost pour servir à l'histoire du département de l'Eure*, Évreux, Hérissey, 1862, t. 1, p. 288-289.

Texte établi d'après a

Notum sit omnibus presentibus et futuris quod ego, Radulfus de Montegomeri, dedi et concessi Deo et ecclesie B. M. de Bernao et abbatii et monachis ibidem Deo servientibus molendinum meum de Rokemont, cum omnibus multis totius feodi mei de Rokemont, et pescheris et aque cursu, et aliis pertinentiis omnibus predicti molendini, ita quod ego vel heredes mei, quandiu manentes erimus in proprio porprisagio de feodo meo de Rokemont, quiete molemus ad prefatum molendinum: videlicet de lucragio quod faciemus de proprio aratro nostro, in terra mea propria dominii mei proprii de Rokemont. Preterea dedi et concessi in puram et perpetuam elemosinam prefate ecclesie de Bernao et monachis ibidem Deo servientibus totum feodium quod de me tenuit Willelmus le Petit et hominagium ipsius, cum omnibus redditibus et serviis feodi predicti ; et preterea dedi et concessi in puram et perpetuam elemosinam totum boscum meum de Rokemont, sicut se extendit in longitudinem et latitudinem, cum terra subjacente, salvo calfagio mihi et heredibus meis, quod in dicto bosco capiemus per visum servientium abbatis de Bernao, quandiu manebimus in porprisagio de Rokemont supradicto. Et si forte abbas et monachi vendiderint dictum boscum de Rokemont, debent michi vel heredibus meis calfagium nostrum excambiare in brochiis suis de vallibus de Derchay. Sciendum autem est quod prefati abbas et monachi de cetero reddent per annum XL. sol. monete usualis in Normannia Ausberto Chaucon vel heredibus ejus, quos ei feodaliter persolvebam. Et preter hec omnia supradicta, ego Radulfus de Rokemont percipere debeo, quandiu vixero, per singulos dies, IV. panes monacales et I. galonem vini, vel IV. denarios monete communis pro vino, quando monachi vinum non bibent, singulis diebus et fircula coquine, sicut et unus monachus de conventu. Et post decessum meum, dictum corredum prefatis monachis integre quietum remanebit. Et sciendum est quod prefati abbas et monachi dabunt michi quandiu vixero, singulis annis, duas robas de burellis qui fient in villa Bernaui, scilicet tunicam et supertunicale sine forratura, videlicet bis per annum, ad feriam Bernaui mense septembri unam robam, et ad feriam Bernaui in Pascha florido unam robam. Et post decessum meum de prefatis robis quieti remanebunt. Et preterea, si equum habeam, qui meus sit proprius, quandiu ero in villa Bernaui, fenum et avenam rationabiliter michi debent invenire et donare. Et ut hec mea concessio et donatio super hiis omnibus nominatis perseveret in posterum firmiter,

quidquid contingat, inconcussa, proprii sigilli mei testimonio presens scriptum confirmo. Actum est hoc in assisia apud Bernarium. Testibus hiis : Cadulco, Gallionis castellano ; Waltero Pipart, Henrico de Ferrariis, Ricardo de Harecourt, Roberto de Teibouvilla, Willelmo de Plagnis, Roberto de Frescheniis, Willelmo de Friardello, Willelmo de Chapeles, Gaufrido Pelevilein, Henrico de Mortuo Mari, Roberto de Frollancurt, Johanne Harenc, Philippo Faguet, Reginaldo de Fresneto, Egidio de Bascherville, et aliis quam pluribus.